UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 5. Chienses pro auxilio adversus Turcas Pontifici supplices

urn:nbn:de:hbz:466:1-66444

Visual Library

Sæcul. XV.
A.C. 1485.

gato, ut Marchiam Anconitanam præſidiis fortiſſimis, & abundanti commeatu inſtrueret.

§. V.

Chienſes pro auxilio adverſus Turcas Pontifici ſupplices.

Interea Chienſis Inſulæ cives, cum continuis Turcarum graſſationibus laceſſiti, totius ſuæ ditionis periculum præſentirent, auxilia ab Innocentio Papa poſtulabant: Hic vero cum ad defendendam Italiam adverſus imminentes hoſtium incurſus totum ſe impendere cogeretur, vehementer dolebat, quod ferendæ opi impar eſſet, præſertim cum ærarium ob contracta nomina ferme exhauſtum noſſet. Egit nihilominus cum Petro Albuſſonio magno Rhodiorum Magiſtro, ut ſuſcepto Chienſium patrocinio Bajazethem ab ejusmodi incurſionibus revocaret; cumque Albuſſonii auctoritas apud hunc Sultanum haud infimo eſſet loco, ipſeque cum eo fœdus pepigiſſet, facile ejus precibus datum eſt, ut hi Inſulani turcicis vexationibus liberarentur; Ipſi vero tanti beneficii memores, Albuſonio vas ingens argenteum politiſſimo artis ingenio elaboratum dono dederunt, in quo inſculptum viſebatur

Boſius hiſt. Equit. Jeroſol. l. 14.

tur

tur Magiſtri hujus Nomen, ejusdemque in illos merita, hac epigraphe expreſſa: *Dominorum Chii Reverendiſſimo Petro d'Aubuſſon Magiſtro Rhodi de ſe optime merito.* Verum nec hic ſtetit Albuſonii ſtudium, quo fœderis initi fiducia fretus Bajazethis ferociam a Chriſtianis avertere conabatur; nam inſuper auctoritate, ſuisque conſiliis Sultanum cohibuit, ne ex Heleſponti freto in excidium Italiæ erumperet. Sæcul. XV. A.C. 1485.

§. VI.

Albuſonii Legatio ad Papam.

Magnus ille Rhodiorum Magiſter de tam felici ſucceſſu Innocentium certiorem fecit, miſſo hanc in rem Guilielmo Caturicenſi Equite, qui in publico Patrum Senatu præſentibus cunctis Cardinalibus perhonorifice exceptus, admodum prolixam declamabat orationem, qua Rhodiorum merita Chriſtianæ Reipublicæ impenſa fuſius deprædicabat, nec non commiſſa feliciter ab Equitibus cum Turcis poſt captam Conſtantinopolim prælia commemorabat, fractosque de Italia invadenda Barbarorum conatus deſcribebat, tandem ſubjungens, Achmetem Baſſam e vivis ſublatum, ejusque obitum plurimorum ſaluti fuiſſe. Denique Pontifici Rhodiorum Inſulam, *Boſius ibid. part. 2. lib. 14*